

FK 159

II m  
922

10

AD  
PUBLICVM LYCEI SNEEBERGENSIS

## EXAMEN

XVL CAL. MAI,  
ET SEQVENTIBVS DIEBVS PRISCORVM CONVENTVDINE  
INSTITVENDVM, SVB CONTINVATIONE

# S C H E M A T I S TRIVM NVMORVM,

QVIBVS IMPRESSA CERNITVR AVGVSTORVM CALIGVLAE  
NERONIS ET GALBAE EFFIGIES, CVM MANV PORRECTA  
ORDINES CIRCVMSTANTES PRO ROMANORVM  
MORE ADLOQVENS,

ET  
INTROITVS CONCINNIORIS IN  
AVGVSTM  
VOCEM SVB PERVERSA REGNANDI LIBIDINE  
AVGVSTARVM FAMOSARVM  
CAVSSA,

VENERANDOS LYCEI NOSTRIDN. INSPECTORES,  
ET QVOTQVOT EX PROCERV MVRISQVE ORDINIS NVMERO MANSV-  
TIRIBVS MVIS FAVENT, CONVOCAT, SIBIQVE ILLORVM PER-  
HONORIFICAM PRAESENTIAM EXQRAT

M. IOANNES DOPPERTVS, Schol. Sneeb.  
RECTOR.

---

Practo SNEEBERGAE,  
HENRICI FVLDAE.





**S** Aepius in maximorum Principum , mundique  
Rectorum Aulis matrimonia minus prospere , et ex animi sententia  
cessisse , ac pabula dislensionibus , statusque publici perturbationi  
subministrasse , qvin non raro Regnorum , et integrarum Provinciarum everifi-  
oni fatali terminum , florentibusqve nationibus ruinam acceleravisse , historia  
teste computum habemus . Hinc sagaciter Tiberius prohibuit , ne Livia S.P.Q.  
acclamatione MATER PATRIAE appellaretur , Caesarisqve nomini adscriberet-  
etur , IVLIAE FILIVS , bene subodorans , Tacito efferente , feminarum ho-  
nores moderando , et muliebre fastigium vergere in deminutionem sui , glo-  
riacque egregis facinoribus partae . Heu misérum virum ! in cujus domo gal-  
lina canit , pronunciabant olim Donati ad Terentium fide Quirites : certe misé-  
rum et calamitosum virum , cui potestas regendi praccisa , auctoritas adempta,  
solaqve obediendi , auresqve bellacandi gloria relicta , qvae fortuna livida , ca-  
lamitasqve interno moerore ipsa viscera arroden , cordisque penetralia con-  
tundens , summos viros , et in ampio mundi theatro splendidos honorum char-  
acteres gerentes , tetigit , et non raro pesumdedic , ut haberent uxores cru-  
ciatus et tormenta perpetua , carcinomata et maculas laudum stiarum . *Multis*  
*illustribus dedecori fuit uxor* , commemorat Plinius in Paneg. c. 83. *foris*  
*claros domesticā destruxit infamia* , et ne maximi cives haberentur , hoc  
efficiebat , quod mariti minores erant . Hinc illustri sposo , atrisque ima-  
ginibus eluenti , convergenti aliquando in secreto amici judicio : succubui in  
judicio , et amisi sponsam , venustate , divitias , gemmarum et bonorum  
abundantia instructam , respondit alter , dignus es vicisse : nam duobus de  
una virginē certantibus , qui praedam accipit , is perdidit , qvi vicit , is est  
victus , qvi vincitur , is revera est victor , et mente generosa compedes aureas  
excudit , vacuumqve cubile occupato , et dulces sonnos vigiliasqve honestas  
praegrandibus matrimonii curis praefert , qvae subinde egregia coepita impedi-  
unt , et flores indolis excelsae decerpunt , furentiqve sua turbine de prosper-  
rima felicitate deturbant . Virtutum censura inter reliqua humanae vitae or-  
namenta admodum difficultis est , cum radices eae agant in animo , longeqve  
ab oculorum conspicu removeantur , et ea argumenta , qvae mulieres in pu-  
blicam lucem spargunt , non semper sincera existant , sed captionis fuso illita , similia Candidatis in campo Martio , de qibus ingeniosus vitorum censor  
Plautus in capt. a. 2. sc. 1. effert :

*Nam fere maxima pars morem hunc homines habent , quod si volunt .*  
*Dum id impetrant , bonisunt : sed ubi jam penes se habent ,*  
*Ex bonis pessimi et fraudulentissimi fiunt .*

et fraudulento decipiendi modo Sixti V. Praefulsi R. quem graviter depingit  
Leti in ejus vita p. 611. 613. Pudor ingenuus Faustinam Antonini Imperatoris  
conjugem non cohibuit , quo minus nautis , gladiatoriibus , aliisqve vilissimis  
hominibus se substerneret , et a Purpura et Diadema ad extremae plebis for-  
des transfiliret ; nec Helvii Pertinacis uxorem throni Majestas deterruit , qvin  
palam flagitatum et flagellorum vestigia osculata in flagitiosissimorum verbero-  
rum obcenitate ardret , ut taceam Caesennias , Hilpias et Messalinas , qvae  
certe aeterna opprobria , maculaqve venustissimi sexus , viperaeqve maritis

et

et Imperio existunt. Danielis Eremitae verba L. IV. c. IX. de vita aulica et civili mili paullo liberius concepta, honestisqve Matronis haudqyaqvam perniciofa videntur : saecula nostra per vulgata jam consuetudine vitia fecerunt: vix mulier ultra est, qvae ubi lectum ascendit, non de adultero cogitet: et cum domum uxorem diducis, metum quoque diduci: huc illud iuvenalis accersentis:

Tarpejum limen adora

Pronus, et auratam Junoni caede juvencam,

Si tibi contigerit capitis matrona pudici.

In extremum sane infelicitatis barathrum Regnum Neapolitanum qvondam concere Ioannae, qvarum fraudes et sceleras, astuta negotiorum moderandorum ratio, mores a Dei sacrorumqve veneratione alieni, homicidia horrenda, et in tori sanctuariorum commissa, adulteria aperta, Europae innotuerunt, historiarumqve commemorationi et posteris execranda documenta reliquerunt. Prioris Ioannae, Roberti ex Carolo filio praedefuncti nepis, vita et imperium multis horrendis tragicisqve exemplis abundat, qvae Ioanna, qvamvis propter regnandi prudentiam, et alias confictas virtutes ab aliquibus scriptoribus, signatim a Baldio et Angelo fratribus, ea aetate Ictis Cl. passim in libellis et consilia commendetur, laudibusqve efferatur, nihilominus alius qvidam Neapolitanus juris sacerdos aferit, eam potius ruinam, qvam Reginam appellandam esse, contextens in Ioannae imperium binos hosce versus:

Regnaregunt vulvæ, gens tota clamat simul Ohs vae!

Interitus regni est a muliere Regi.

Altera hujus nominis Ioanna cum ipsa inconstancia init certamen, suumqve 'corporis pabulum, deliciasqve qvaesivit in voluptatibus obsecenis, alternisqve adulteris, libidinisqve ministros præcipue habuit Pandulfum Alopum, Vrbannum, Aurigiam et Ioannem Caracciolum; tres priores originem trahebant ex stirpe antiqua, et generosis natalibus, ac virtute, moribus et forma excellenti elucebant; Caracciulus autem, qvamvis ipse de parentum nobilitate gloriari posset, tamen in primis rauti progressus auspiciis opibus destitutus scribam agebat, patremqve agnoscet Caracciolum, vatem in cyltum, sermonibusqve illius aevi celebratum. Pandulfus Collenutius L. V. H. Neapol. et Abraamus Bzovius ad A. C. 1343. n. 3. et ad A. C. 1415. Plerumque res mortalia sic fluunt:

tolluntur in altum,  
ut lapsu graviore ruant.

Anna altera Henrici VIII. conjux ad regni consortionem, thronique divinitatem blanditiis, blandisqve amorum gratis pervenerat; sed ecce celerem, ac repentinam lubricas fortunæ inconstantiam, amorisqve ex suspicione cum alio communicati, regnique affectati taedium, qvod eo ferocem Henrici indolem permovit, ut a Regia nominis Majestate Annam præcipitaret, et vitam florentiorem, venustates delicatas leporesqve mirificos turpissimis carnificis manibus consecraret. Gratianus de cas. illustr. vir. qvatuor Britonum Reginas volubilis fortunæ ludibria recenset, sed pro more et sacrorum propensione magis in Catharinam et Mariam, qvam in reliquias propendet, minusqve liber a perverbis animi motibus existit, et vel omne iracundiae virus in Annam Boleniæ evomit, qvam ex famoso Henrici pellicatu genitam, et in Lupara adversa pudicitiae fama nobilitatam, et cognomine Eqvae Anglicæ notam adstruit p. 266. edit. Paris. Galliarum monumenta multa litteris consignarunt, captiosam, qve regnandi rationem, multorum innocentium sanguine confersam, ac saepius in damnatorum oraculorum investigatione nixam, mentemqve in Aulas, suosqve Ministros versatilem, et ad vanas alebantid spes, præcipitesqve prolapsiones Catharinae Mediceæ compositam, luculenter depinxerunt: cuius atrocitas, sanguinolentum judicium, horrenda laniana, postorisqve Thuano afferente, damata Valefios dedere præcipites, et Bourbonianam gloriam ad regni solium liliaque evexerunt, et in Henrico M. et Ludovico gloriofo cum orbis stupore, et perenni Gallici Nominis amplificatione feliciter conserverunt. Sagaciter prospexerat Catharina, Regnorum felicitatem in laeto liberorum, et justo pro-

geniei



SK II m 972

genici numero fundari: hinc qvoties ipsi filia vel filius naceretur, semper Fernelio, Medico per celebri, et salutis suae custodi X. millia thalerorum dinumerari jussit, qvam benevolae mentis propensionem Scaliger BON GAGNE appellat, sed ipsa iusta Dei ultione liberorum Regiorum, stirpisqve Valesiae extinctionem vidit, suoqve exemplo per tristi orbitatis jacturam comprobavit. Vita Catharinae, Thuanus, Bullart Tom. II, Liv. 2. fol. 84. Scaligeriana Fernelius, et de orbitato toleranda Jacobi Gutherii Choartius major. Maria Scotica, omnibus gratiis, venustate, miraque aspectu, et statura affabre a natura benigna efficta, redundans, et duorum Regnorum Domina, Regumqve conjux tumultuum et internorum dissidiorum causa Gallias repetens, ab Elisabetha intercipitur, et in castellum arcioris custodias Pompfreanum Scotiam versus conditum ibi, novis molitionibus contra Elisabetham, auctore Iacobo Balfurio, textis, capitis poemam luit, hoc tragicò documento posteros instruens, perfidiam non manere insultam, Deumqve vindicem experiri, illorumqve Principum ac Regum, mores Deo exosos existere, qui suis libidinis freti, et divinorum mandatorum ignari exactuantis superbiae spiritu abripiantur, nec Deum immortalem, sanctasqve ejus leges decenti cultu revereantur: Deique proprium esse homines ad thronos et altiores dignitates evehere, rursumqve contulis libidinis stimulis in pulverem dejicere, omniqve gloria, et honorum splendore privare. Augustinus Buchnerus Vol. II. Orat. Acad. Fest. fol. 305. Georgius Buchananus in Hist. Scot. p. 701. Leti in vita Elisabethae p. 168. et in vita Sixti V. p. 392. Haec verba Mariae in pugnate ad populum pronunciavit: Ecce ego vobis nōnum aeternumqve adaperio theatrum, videris Reginam in conspectu mortali-  
tm, publiceque moriente. Mea confusudo ante sic non ferebat vestes amitis praescitibus deponere, multominus carnificis et lictorum opera uti; veruntamen Dei decretum stat firmum, ratum ac fatale, nullaqve humana sapientia, precibusqve declinari potest. Sextus V. atrocioris animi, sed simul strictioris iustitiae Praeful, comperta violenta Mariae nece, latera oculosqve Angliam versus convertit, haec prae nimis laetitia, animiqve exultatione verba effundens: O fortunata, omniumqve felicissima Heroina Elisabetha, quae in omnem saeculorum memoriam digna exsticit, ut regum sanguinem videret profusum, et caput Diadematè redinutum, et ad pedes pulveremqve devolutum, publicae tranquillitatis ergo abscessum. Leti c. V. p. 176. Qvantas turbas inter Lusitanos non ita pridem, Alfonso et Petro regnantibus, excitaverit Maria Francisa Elisabetha Sabauda, proloqyvit historia superioris saeculi, versanturqve tracie, callidaqve consilia, fraudibus Patris Lojolite De Ville inflammata magis et sustentata in memoria Aularum et Principum, et certe nunquam dispensatio contra leges D. in causa matrimonii cum duobus fratribus facta, et longinqua in Terceram Insulam Alfonsi deportatio, et de thono dejectio, confactaque Alfonsi ad conjugium importentia, filiae procreatione ex summi status Ministri relatione refutata, oblivionis silentio in Europa cultiore obtegentur. Orator, qui laudes hujus Reginæ posteris commendavit, mirificam Mariæ prudentiam, et exquisitam togæ rerum peritiam, pietatem latenter et in pectore absconditam, neminiqve apertius Patre de Ville cognitam, et pro inde sancti sanctorum supremo tantum sacerdoti referatam, praedicat, qui vel ideo Lusitanos felices, et ter qvaterque beatos proclamat, quod Sabaudia illis submisserit reginam de caelo delapsam, et admirandis proflus caelestibusqve dotibus exornatam. Laetiora divina et auspicata Augustae compellatio, ad qvam argumenti bonitate jam dilabor, exempla L. B. suppeditabit, et Augustarum qvamplurium exemplis fortunata mulierum imperii ostender, simulque nominis significationem paullo uberior ex numis, et praecellentium historicorum scriptis excutet, qui modo in debita Amplissimorum, maxime Venerandorum et splendorum meritorumqve gloria in hac Civitate, montium jugis affixa, Procerum utriusqve Ordinis praefantium, ad convetam Musarum nostrarum lustrationem, Examinisqve verni solennitatem invitatione, et aequa pro honesto ac-  
cessu gratiarum actione, ampliorem dicendi libertatem, vel si Parnasi Praefi-  
de praecipiente, intercido. P. P. Dominica in Albis 1708.

FK 199  
no. 10

II m  
922  
10

AD  
PVBLCVM LYCEI SNEEBERGENSIS

## EXAMEN

XVI. CAL. MAI,  
ET SEVENTIBVS DIEBVS PRISCORVM CONSVETVDINE  
INSTITVENDVM, SVB CONTINVATIONE

# SCHEMAT TRIVM NVMORVM,

QVIBVS IMPRESSA CERNITVR AVGSTORVM CA  
NERONIS ET GALBAE EFFIGIES, CVM MANV PORREC  
ORDINES CIRCVMSTANTES PRO ROMANORVM  
MORE ADLOOQVENS,

ET  
INTROITVS CONCINNIORIS IN  
AVGVSTAM

VOCEM SVB PERVERSA REGNANDI LIBID  
AVGVSTARVM FAMOSARVM  
CAVSSA,

VENERANDOS LYCEI NOSTRI DN. INSPE  
ET QVOTQVOT EX PROCERV M VTRIVSQVE ORDINIS NVMERO  
TICRIBVS MVSIS FAVENT, CONVOCAT, SIBIOVE ILLORV  
HONORIFICAM PRAESENTIAM EXQRAT

M. IOANNES DOPPERTVS, Schol. Snee  
RECTOR.

SNEEBERGAE,  
Practo HENRICI FYLDAE.

